

quia apud Homerum invenitur figuli rota, maluit videri
versus falsos esse quam fabulam. Ego nec Anacharsim aucto-
rem huius rei fuisse contendo et, si fuit, sapiens quidem hoc
invenit, sed non tamquam sapiens, sicut multa sapientes
5 faciunt qua homines sunt, non qua sapientes. Puta velocissi-
mum esse sapientem: cursu omnis anteibit qua velox est, non
qua sapiens. Cuperem Posidonio aliquem vitrearium osten-
dere, qui spiritu vitrum in habitus plurimos format qui vix
diligenti manu effingerentur. Haec inventa sunt postquam
10 sapientem invenire desimus. 'Democritus' inquit 'invenisse 32
dicitur fornicem, ut lapidum curvatura paulatim inclina-
torum medio saxo alligaretur.' Hoc dicam falsum esse;
necesse est enim ante Democritum et pontes et portas fuisse,
quarum fere summa curvantur. Excidit porro vobis eundem 33
15 Democritum invenisse quemadmodum ebur molliretur,
quemadmodum decoctus calculus in zmaragdum conver-
teretur, qua hodieque coctura inventi lapides <in> hoc utiles
colorantur. Ista sapiens licet invenerit, non qua sapiens erat
invenit; multa enim facit quae ab imprudentissimis aut aequae
20 fieri videmus aut peritius atque exercitatus.

Quid sapiens investigaverit, quid in lucem protraxerit 34
quaeris? Primum verum naturamque, quam non ut cetera
animalia oculis secutus est, tardis ad divina; deinde vitae
legem, quam ad universa derexit, nec nosse tantum sed sequi
25 deos docuit et accidentia non aliter excipere quam imperata.
Vetuit parere opinionibus falsis et quanti quidque esset
vera aestimatione perpendit; damnavit mixtas paenitentia